

**Positiones medicae de febre epidemica nunc passim saeviente / [Daniel Moegling].**

**Contributors**

Moegling, Daniel.  
Mögling, Johann Ludwig, active 1608-1655.  
Universität Tübingen.

**Publication/Creation**

Tübingen : T. Werlin, 1621.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/v6gdt6zw>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



B. A.

Positiones Medicæ

De

FEBRE EPIDEMICA

nunc passim sæviente,

Q V A S

Scitò atq; Decretò Amplissimi Collegij  
Medici;

P R Æ S I D E

JOH. LUDOVICO

MOEGLINGO, HEY-  
DELBERGENSI, MEDICINÆ

DOCTORE ET PROFESSORE ACADEMIÆ  
TUBINGENSIS ORDINARIO, Dn. PATRIS

Parentis instar nunquam non suspi-  
ciendo,

*Pro Insignibus ac Privilegiis Doctoralibus  
in Arte Medicâ consequendis,*

Ad diem 27. Jan. in Aulâ novâ Publicæ cen-  
suræ subijit

M. Daniel Mögling.




TUBINGÆ,

TYPIS THEODORICI WERLINI,

ANNO M. DC. XXI.





# VIRIS

REVERENDIS, EXPERIENTIS-  
simis, Clarissimis, & undiquaq; Prestan-  
tissimis,

Dn. M. WOLFGANGO MOEGLINGO, Lamershei-  
mensium in Ducatu Würtemberg. Pastori vigilantissimo;

Dn. JOH. DAVID MOEGLINGO, Philosophiæ ac  
Med. Doctori, necnon Bietigheimensium in eod. Duca-  
tu Polyatro dexterrimo;

Dn. JOH. LUDOVICO MOEGLINGO, Phil. itidem  
ac Med. Doctori, hujusque in inclyta Tubingensi Acade-  
miâ Professori ordinario;

Dn. JOH. WILHELMO MOEGLINGO, ejusdem  
Universitatis, Synadelphingæ, Quæstori fidelissimo;

Dn. JOH. NICOLAO MOEGLINGO, Medicinæ  
Candidato meritissimo;

*Dominis Patruis, æternùm:*

*suspiciendis, honorandis, amandis;*

Has suas Positiones inaugurales

strenæ ac singularis observantiæ loco

D. D. D.

*simulq; omnia fausta precatur*

*A. & R.*



POSITIONES MEDICÆ  
DE  
FEBRE EPIDEMICA  
nunc passim sævien-  
te.

**M**HI, DE CERTA QUADAM  
è Penu Medico depromptâ materiâ, disputaturo,  
tempori præsentî inservire, talemq̃, qualem ipsum  
nobis suppeditat, eligere, ac proinde Lues illius  
Ungariçæ aut Cephalicæ, ut vulgò vocant,  
nunc passim grassantis, Naturam, Differentias,  
Causas, Signa, Symptomata, Curationem & προφυλάξιν, eâ quâ  
fieri potest brevitate, pertractare animus est.

I. Est autem Lues ista Epidemica Febris continua atq̃ maligna,  
è fervidâ venenatâ eaq̃ putrescente materiâ orta.

II Et pro vario variorum humorum partiumque apparatu, cor-  
poris item, æris, temporum, locorum, diætæ ac aliorum constitutio-  
ne diversâ, varia est: nunc quotidiana, nunc tertiana, nunc quar-  
tana continua, simplici vel composita, magis propinquior.

III. Causæ verò, quas (præter innumera nostra peccata, mi-  
nacesq̃ cœli constellationes) Medicus maximè considerat, sunt vel  
Externa, vel Interna.

IV. Externa sunt, Aëris humida & calida, quin & quacunque  
inconstans & inequalis constitutio durabilis, præteriti præsertim  
tempo-



## Positiones Medicæ

temporis insolitus nunc squalor, nunc frigus; venti australes humidiores, per regiones imprimis antea infectas spirantes, pluvia frequētes; frumenta & alimenta vitiosa, tum genita atque usurpata, putredini ac malignitati obnoxia; vina quorundam locorum prasulphurea & calcinosa; inordinata & miserabilis, in bello, caterorumq; locorum annonæ caritate, vitæ ratio; medicamentorum debito tempore neglectio, vel minus idoneorum inconsiderata adhibitio; reliquarum iam hoc morbo laborantium  $\mu\alpha\iota\sigma\mu\alpha\tau\alpha$  & recepta, & quæ eius generis alia sunt, quibus vitiosi in corpore humores cumulari, ac putredini malignitatiq; idonei reddi possunt.

V. Internæ sunt, omnis generis excrementa, maiori ex parte in ventriculo, Intestinis & vicino Mesaræo collecta, in quibus, ab impeditâ coctione, ex vehementi atque diuturnâ putredine, venefica quadam qualitas oritur, quæ postmodum & reliquis, tam excrementitijs, quàm alimentalibus succis, in & extra vasa, quin & visceribus, ipsis præsertim cordi (ac quidem pro variâ corporis dispositione in uno quàm alio citius.) communicatur &  $\Delta\gamma\delta\epsilon\tau\eta\kappa\omega\varsigma$  atque morbosè imprimitur, unde postea putrida & maligna exhalationes, ad caput, ventriculum, nervos, &c. deferuntur, & varijs causam præbent Symptomatibus.

VI. Signa & Symptomata huius morbi sunt vel Diagnostica, vel Prognostica. Et Diagnostica vel impendentis, vel præsentis morbi.

VII. Impendentis, causâ modo nominata internæ & externæ, peioris moris & conditionis, multa, hincinde conspecta; multitudo agrorum stuiliter & periculose laborantium; contagio in adibus publicis & privatis, abiectio & tristitia animi citra causam manifestâ; terror in tenebris & in somno; lassitudo totius corporis inconsueta, cum caloris, imò & ardoris & horroris vicissitudine; abominatio carniarum, rerumq; salutarum; sitis, dolorq; capitis subinde recurrens; fluctuationis iactationisq; sensus in toto corpore & his consimilia.

VIII. Pra-



VIII. *Præsentis morbi sunt, pulsus parvi, frequentes, languidi, inordinati, & si quandoque boni appareant, tamen alijs signis deterioribus adiuncti; Urina principio plerunque naturalis, circa statum flava modo, modo rubea, subrufa, vel intensioris coloris, cum sedimento rubeo, crasso & turbato, aliquando copiosa cum fœtore insolito, post statum (sæpè etiam antè) confusa, turbida, crassa; post rigorem mox constans, abditus, profundus, & vehemens æstus, cum singulari ac perpetuo capitis dolore, repentinoque, insigni, ac cæteris febribus inconsueto totius corporis languore & agitatione indefinente; aliquando etiam adest animi deiectio, loquendi tædium, frequens manuum pedumque tremor, sensuum aurium comprimis & oculorum magna modo diminutio, modo depravatio, vigilia, phantasmata melancholica, deliria, furores, appetitus deiectio, sitis, oris & lingue inflammationes, faucium interdum tumores, exanthemata aut macula moligna, papula quandoque ardentes, quandoque bubones & phymata; Quidam circa præcordia dolorem sentiunt, & de cardialgia conqueruntur, simulque tussiunt, & punèuntur in lateribus; quidam ad vomitum materia biliosa, &c. alij ad solvendam alvum stimulantur, quorum deiectiones plerunque gravius olent, & colliquationis, nec minus & dysenteria iudicia secum afferunt; in alijs obstructions obtingunt; oris item fœtor, anhelitus difficultas, cutis & oculorum flavities, ac è naribus, utero & ani venis hæmorrhagia nonnunquam animadvertitur.*

IX. *Signa Prognostica mortis aut vitæ, in hoc tam σΦαλερόω morbo, certa dari non possunt, cum sæpè, signis bonis apparentibus, egri à latente malignitate iugulentur, & vice versâ, malis signis præsentibus, nonnulli evaserint: Non incommodè tamen Medicus ex seqq. & similibus signis, quid futurum sit, colligere poterit. Bona sunt, fluxiones & expulsiones quæ facile feruntur; sudor talis ab initio multus; urina moderatè crassa, ut & ea quæ cum sedimento subcrasso prodit; pus, aqua vel sanguis, per nares, os, vel aures, caput dolenti, pro virium ratione effluens; stigmata benè colerata; fluxiones*



& destillationes cumulatim in collum externum descendentes; auditus abolitio cum cessatione atrociorum symptomatum, & similia. Mala sunt, quæ contrario modo eveniunt, item remediorum nimis tarda adhibitio; Sudor nimius, particularis, supra modum fetidus; Urina planè naturalis, crassissima, confusa, perturbata, subito item mutata, pauca, nigra, livida, viridis, plumbea, aquosa, alba; petechia initio morbi copiose, nigra, livida, pallida, aut de insperato evanescentes; Icterus ante septimum diem; deliria cum temeritate; respiratio frigida, fetida, aut absque insigni causâ molesta; ortus ventriculi dolor, cum distento præcordio & dolore capitis. Lethalia censentur: Sudor frigidus; Urina tenuis cum virium imbecillitate; facies tortuosa & terribilis; color lividus; labri, supercilij, oculi vel nasi perversiones; lingua nigra & cum virore pallida; dentium stridor; lethargus vel phrenitis post II. vel 14. diem; somnus laboriosus; secundum aures tubercula sine crisi; acutus in aure dolor, &c. Notandum etiam, quando venenum propter fervidam ac celerem suam activitatem, in corporibus præsertim calidis, & siccis immediatè statim solidæ cordis apprehendit, tum eger absq; sensu singularis æstus, vel aliorum membrorum dolore insigni, subito ferè decedit. Verùm, ad Prognosticationis certitudinem maiorem, Medico peritò omninò incumbet, pro Medicinæ & syncerioris authoritatis ac estimationis suæ conservatione, præcipua prognosticorum horum signorum phænomena, doctè colligere, & ex harmonia plurium, congruè, prudenter & cautè pronunciare.

X. His omnibus probè, & quâ fieri potest assiduitate & industriâ prospectis, 4 potissimùm scopi nobis suppeditantur. Quorum primus est, Intemperiei venenosa materialis alteratio & ablatio. Secundus, fomitis in ventriculo & vicinis locis vasisq; delitescens, subductio, Tertius cordis & spirituum roboratio & instauratio. Quartus, Symptomatum (quæ hîc admodum vehementia esse solent) emendatio.

Quos scopos his tribus medijs, Diatâ, Chirurgiâ, & Pharmaciâ, assequemur.



XI. DIÆTA, à correctis devitatisq<sup>3</sup>, quantum fieri potest, causis publicis & communibus, sex rerum non naturalium administratione convenienti perficitur, sitque vires presentes conservans, amissas restaurans, venenatamq<sup>2</sup> materiam impugnans. Propterea Aër eius loci in quo iacent agri, sit temperatus, purus, liber, nec nimium splendens, nec nimium obscurus, benè quidem at moderatè olens, non ex fumis, aut vaporibus, aut ignescentibus; sed fragrantibus integrarum rerum temperatarum qualitatibus odoriferis spontè emissis, uti ex dissectis pomis, pyris, cydonijs præsertim & citrijs malis viridibus, atque hujus generis alijs. Cibi competunt refrigerantes & desiccantes quodammodo, boni succi & facilis concoctionis quales sunt iuscula caponum, pullorum cum hordeo, cū succo citri vel Limonū, aut aliquot guttis aceti roscondita, panatellæ, pruna dāascena, puls passularū, cū vino granatorum & cydoniorum, dactyli recentes cum illis percocti, ptisana hordeacea ex brodio caponum cum succo rib. aut berber. gelativæ, garum &c. Admiscetur utilissimè alimentis pulvis cardiacus D. Rulandi, sive Bezoardicus in Dispens. Augustano. Cibi verò quantitas sit mediocris, parca & reiterata, tempore tollerabiliori. Potus fiat medicamentosus, facultate refrigerans & subsiccans, ex rad. acetosæ, borag. buglos. cornu cervino, hordeo integro, ferro aurové extincto, albumine ovorum, succis pomorum vinosorum, posca, acidulis naturalibus, &c. Vinum & cerevisia vitentur. Somnus & vigilia moderata sint. Animi affectus vehementiores, præsertim ira & mæror caveantur.

XII. CHIRURGIA tribus perficitur, Vena sectionis, Cucurbitularum & Vasicantium administratione. Venæ sectionem præcipuè suadent Plethora, virium robur, atas, consuetudo, symptomata sanguinem insequentia cumulatiora, motus natura, tempus aptum. Vnde Phlebotomia non erit admittenda viribus prostratis (quod fit plerunque post tertium diem) nec ab initio morbi in cacochymicis,



chymicis, nec in ijs qui diarrhæâ aut hæmorrhagiâ laborant, nec ubi putredo magna, & summa veneni malignitas adest. Secunda vero erit vena viribus nondum attritis, in corporibus plethoricis, quantitate non nimia aut partita, è pedibus præsertim & manibus (alijs non impediens) initio morbi, ubi cordiale commodum & vacuans lenè præcesserit. Occasione vero sanguinis è vena mittendi prætermissa, & quando viribus morbi progressu labescentibus alijsq; metuimus, Cucurbitulæ inferiori dorsi parti infra renes, & suris affigenda erunt (evacuato prius corpore) vel cum scarificatione, si aliqua luxuriantis sanguinis copia adsit, vel sine scarificatione, solius revulsionis causa. Malo urgentiori Magnetismi, Phænigmi, sinapis, vesicantia, partibus ignobilioribus tempestivè apposita, multum etiam iuvant. Admoveremus ea fortiorum cruribus & coxis (corpore itidem prius vacuato) ut revellamus materiam venenatam à corde: in progressu vero morbi etiam superioribus partibus, ad derivandam vitiosam materiam à parte in partem, si pars præsertim vel humoribus laceatur, vel doloribus fatigetur.

XIII. PHARMACIÆ beneficiò, si fervor, agitatio & putredo humorum commodè cohiberi, & non prætervisa atque neglectâ malignitate, magis ad egressum parari possit, alterantia appropriata primum admittimus. Vt in biliosa magis impuritate: Cichor. oxalid. Nicotian. foem. Tormentill. Rosas, Cotonea, Citria, Punica, Persica & Medica mala acida cum baccis Rib. Berber. Crespin. Oxiacanth. Myrth. & passular: aut Glyzyrrizæ dulcedine. In Pituitosa magis inquietudine; Pimpinell. Scabios. Veronic. Card: bened. Succisam, Scord. Angel. cum Poly-pod. & Rut. semin. decocto. In atri humoris prædominio, Scorzoneram, Vincetoxic. Borrag. Buglos. Galegam, Nymph. Viol. Cyan. & Consolid. regal. flores, cum sero lactis capr. aut cochlear. aquâ, & variis infusis, decoctis, Iulapuis & Syrupis inde paratis.



XIV. Si vero preparatorijs modò dictis locus commodus & morâ venialis non detur, primò fomes è ventriculo purgatione subducitur, eâq; tutâ, benignâ, simulq; antipathica, max ineunte morbo (etiam non expectata coctione) tam per inferiora quàm superiora instituta, quorsum Natura ipsa magis vergit.

XV. Per inferiora commodissimè purgant Rhabarb. vel per se, vel in infusione, cum Agarico, Polypod. Sena, epithym. fic. passul. thamarind. Et ex compositis, syr. viol. sol. syr. ros. solut. cum sol. senæ, cum Agar. cum Rhab. cum helleb. de polypod. compos. Tryphera Persica Georg. Agricola. vel hæc potio tutissima: ℞ Rad. Scorzon. ℥ij. Fol. Galeg: Epat. Stellat. Oxyd. à p. iij Flor. 4. cord. à p. ij. Agar. Sen. Polypod. à ℥ij. Cort. rad. helleb. nig. præpar: Zedoar. Serici crud. incisi à ℥j. Decocti passul. min. recentiss. adhuc calentis q. s. Refrigerentur. Hujus colat. 3x addatur cremor Tart. ℥j. ol. Rhabarb. stillat. purgantis ℥j. pro una dosi. Sed & Clysteres fieri possunt ex Iusculo Hordei decort. ex sero capr. cum Scandic. Mercuriali, Malva, Crithamo, Kali, florib. Acat. Persic. butyro, sacc. rub. ovor. vitellis. Pueri blandè purgantibus tententur, utpote Mannâ cum brodio pulli, viol. syr. Diafer. catholico &c.

XVI. Per superiora vomitorio purgantur, qui viribus valent, & convenit uti aqua marinâ, vel muriâ decoctâ cum mercuriali, urtic. virid. genist. Gillâ Crollij, vel hâc Rulandi, quod simul Sudoriferum esse potest: ℞ Rad. Asar. mund. & crassè pulveris. ℥ij. Aq. card. bened. Acetos. à. ℥iij coq. lentè ad consumpt. ℥ij col. cum expressione. Post ℞: colat. purè expref. ℥iiij. Syr. de acetos. Simpl. ℥j M. Ventriculus roboretur & vires reficiantur, iure pulli in quo grana berber: & chermes coxerint, rob. rib. carne citri conditâ cum tab. Manus Christi perlat. haustu succi cydon. clari, decocto menthæ, pimpinel, & similibus.



XVII. Post subductionem aliqualem fomitis, ad veneni ipsius, quod corporis habitui & sanguini communicatum est, ablationem, & adhuc maiorem caloris non naturalis putredinisque debellationem, dirigenda est curatio, quæ persicitur commodissimè sudoriferis & diureticis.

XVIII. Sudor promovetur Alexipharmacis proprijs, corn. cervin. præpar. Terrâ sigil. Silesiacâ & Turcicâ, unicorn. bol. arm. Lap. Bez. orient. Ex compositis Elect. Diascord. de ovo, Pulu: Bauarico, Pannonico, Pulu: illustris. Principis Würtemberg: Aq. Matthioli theriacal. Liquore Sudorif. Noribergens. Aq. Scord. compos. Rob. Ebul. Sambuc. cum Syrup. suavioribus acetosel. pom. acid. oxy saccharo & aceto simpl. vel ℞: ʒj. pulu. rub. Cæs. spir. scabiosæ ʒij.

Salia etiam hinc plurimum valent, rectè preparata & prudenter exhibita, uti Sal Artemis. salis Card. bened. per coctionem, non calcinationem eliciti gr. ij. in aq. vel spir. card. bened. Cuius confectionem habet Beguinus l. 2. c. 17. Tyroc: chymici. Sudoris vero exitus celeriter promovetur, si imponatur soleis pedum panis tostus calidus copiosâ theriacâ perlitus, & umbilico sacci calidi repleti sale aut sem. Panici, lithospermi. Sudet ager non coactè, & ad summum trestantum horas in loco mediocriter calido, nec inter sudandum dormiat, eumque in finem sæpè nodulus ex comis lauand. Rutæ, aut Juni. baccis, imbutus in aceto ros. naribus admoveatur, & cum panis portiunculâ offeratur suc. granator. cydoniorum, acetum vile cum saccharo, ros. tabulat. dulcoratum. Post sudorem calidis pannis abstergetur ager, & convenientibus medijs roboretur, ac ne statim frigidam captet auram caveatur.

XIX. Posthac Diuretica præcipuè adhibeantur. Talia sunt decoct. rasur. corn. cer. ust. in pollinem redacti, rad. acetos. cichor. scorzon. Dictam. Corr. & sem. citri, bac. junip. cum sem. foenic. additis ol. vitriol. rectific. guttis tot quot sufficiunt,



ciunt ad gratam aciditatem aqua inducendam. Emulſiones ex  
sem. Nap. citr. 4. frigid. maior. halicacab. cancri præparati:  
amygd. amar. cum. aq. fragor. rub. idæi, putamin. è nuci-  
bus. *Iulapium diureticum composuit Ralandus, quod, cum proba-  
tissimum in hac Lue censeatur, subiungere placuit.* ℞. Aq. puræ  
℥ ij. Ras. corn. cer. in petia ligati ʒ vj. f. decoctum ad con-  
sumpt. ℥ s. ℞. colat. ℥ j s. suc. Limon. ʒ iij. coq. despu-  
mando semper, & purif. cum album. ovi. Addi possunt, ut  
supra, aliquot guttæ ol. vit. rectificati.

XX. *Addenda porrò cordis & spirituum refectio, qua fit va-  
riis cardiacis tam externis quam internis. Interna commendantur*  
Sp. Liberant. de hyacintho, lætific. Gal. Diamarg. frig. cor-  
dial. Alex. ea tertia quæq; hora porrigantur cum aquis cordialibus,  
ros. lavend. myrthi, lill. conval. è cort. cit. melis. in B. destill.  
affusâ semper vini granat, vel acet. ros. iusta quantitate. Reliquis  
egregiè conducere scribitur hac Aq. prophylactica, analeptica & ale-  
xipharmaca, qua ℞. ros. rub. M. s. Zedo. sem. cit. â ʒ iij. Rad.  
torment. cort. cit. Sant. citrini â ʒ j s. Ras. corn. cer. ust. &  
crudi â ʒ iij Camph. opt. ʒ i. gr. vj. Suc. citri pom. acet. ros.  
opt. â ℥ j. ʒ iij. M. & macerentur in aqua tepida per ij. dies natu-  
rales, post in duplici vase hermetice elauso extillentur. Verùm de ace-  
to una destillato nobis esto dubium, utrum verè conveniat. Externa  
sunt epithemata, qua regioni cordis, carpo, talo, & alijs pulsuum locis,  
tepida, ut & naribus utiliter admoventur. Commendatur tanquam  
efficacissimum ol. Scorp. Matthioli compos. & simplex, Ex-  
tractum Cordiale Noribergense, quod ℞. Sp. diamosch.  
dulc. Diamb. proepith. cordis â ʒ ij. Ros. rub. odoratis. ʒ j.  
Santal. omni: â ʒ ij. Irid. florent. ʒ iij. cort. aurant. citri  
â ʒ j. Boli arm. Or. ʒ ij. Aq. ros. ℥ iij. vini odorif. ℥ j. s. Ace-  
ti ros. ℥ j. Incis. & contus. omnibus, infund. & destill. s. a.  
Præterea non sine commodo imponuntur acet. ros. rutac. Scord:  
& bac. Iunip. contus. & cum aceto ros. subactæ, Balsamum



citri, &c. Insignis ille Crato, tanquam præsentissimum remedium, in omnibus malignis febribus commendat Ambram Chryseam veterum & posthanc etiam camphoram.

XXI. Restat denique Symptomatum mitigatio, quorum semper toto morbi tempore ratio habenda est, ne natura agri eorum atrocitate vel planè superetur, vel admodum debilitetur, factò exordio à capitis insigni dolore.

XXII. Is quidem, deposita plenitudine, & diminuta cacochymia, topicis curari poterit 1. Revellentibus, 2. Repellentibus & Oxyrrhodinis, ubi planè divinum remedium censetur Rad. Rhodiæ usus hoc pacto celebratus: ℞. Rad. Rhod. rec. ℥j.

Aq. ros. ℥j. ℥.

Decoquantur ad tertiam partem, intingantur linei panni, & capiti apponantur. Commendatur etiam unguentum Alabastr. cum camphorâ. 3. discutientibus, & 4. Anodynis.

XXIII. Delirium compefcitur ijs Medicamentis, quæ ad nimias vigilias infra adhibebuntur, sæpius iteratis: sin his non cedat, cucurbitulis sanguis copiosus è suris educitur, & cucurbitula cervici, brachijs, admoventur: sin nec his quiequam perficitur, & vires ferant, secunda vena frontis, & capiti alexipharmaca discutientia cum oxyrrhodino illiganda. Non inutiliter imponitur gallina vel columba dissecta, adhuc calens, sæpius permutata: Ungari capam adhibent, alij alia. Quidam huius Medicamenti vim insignem hæc in parte aliquoties se expertum esse dicit: ℞. Angel. Astrant. Zedoar. Torment. Diptam. à Mj. Ros. rub. Mij. Maiorana, Lavand. à ℥ iij. Camph. ℥j. Aceti ℥ ij. post fortem ebullitionem benè obturata impone super fornacem, intinge linteamina & capiti applica.

XXIV. Vigiliæ, cum causa sint delirij, maturè tollenda. 1. abiguntur ijsdem, quibus dolor capitis & deliria. 2. Embrochis & Lotione pedum in loco calidiori. ℞: Rad. Rhod. vel Plantag. latifol. ℥ ij. fol. vitis, Salic. Violar. Lactucæ à Mj. flor. borrag, buglos. nenuphar. à M. f. cap. papav. alb. à Nō vj. coq. in f. q. a.



*Sin his nihil perficitur, detur 3. potio somnifera ex decoct. hord. cum p. 1. Serpill. vulg. Sem. papav. alb. Sp. Diamarg. frig. & ros. aquâ. Ac in summâ necessitate Laudan. opiat. probè confect. gr. ij. vel iij. cum pauculâ aquâ perlarum.*

XXV. *Sitis optimè fallitur Endiviæ, Portulacæ utriusque & Lactucæ stolonibus, aquâ ros. madefactis, ori inditus, & sæpius innovatis: Item Iulapijs & decoctis, quibus ol. vitr. rectificati aliquot gutta fuerint commistæ. Sumat Sitiens interdum aliquid de cydon. condit. de sapâ moror. cum agrestæ syrupo, & oxyfaccharo dissolut. Somno intempestivo etiam pro varietate causarum occurrendum eris.*

XXVI. *Scabritiei & inflammationi linguæ & faucium providebitur, si lingua probè à sordibus mundetur, post gargarismata usurpentur ex aq. plantag. consolid. usitatoris utriusque. pilosell. hippur. additis suc. semperv. maior. diamor. suc. cydon. In ore teneatur & sensim deglutiatur seq. mistura: ℞. Suc. recent. Rutæ, Hyssopi. Semperviv. Maior. Salv. acutæ à Cyath. j. M. Flor. Crusius ait, se meminisse, hoc remedium, exhibente Dn. D. Papio, in desperatis etiam casibus profuisse. Alij seq. Medicamentum commendant ℞. Semperv. Maioran. q. s. contunde ac pro singulis dimidiatis libris adijce Sal. Ammon. ʒ ij. Repone loco humido subterraneo, donec Sal liquefactus sit, post modum aquam alembico extrahere, quâ linguam & os aliquoties collue, & senties auxilium certissimum. Conducant etiam Sal. Nit. Prunell. Tab. de Nitro &c.*

XXVII. *Cardialgia tollitur 1. vacuatione materia per vomitum & alvum, ut supra monuimus. Deinde obrusione malignitatis & fervoris humorum, syr. granator. de acetos. citri, Limon. Suc. agrest. oxalid. cum aq. acetosæ, Scorzon. Mentha. Alexipharmaca (v. g. Aq. Matth. cum aceto nuc. mista) presentissima hinc sunt remedia. Sic mica panis vino granator. madescens comesta pluribus profuit. Cneurbitula orificio ventriculi*



*apposita mirum in modum prodest. Huc pertinent Anorexia, vomitus, singultus &c. quorum eadem causa est.*

XXVIII. Palpitationi cordis & Lipothymijs, cordialibus tam internis quam externis occurrendum est. ℞: flor. sambuci, consperge optimo vino in patina aliqua, ita tamen ut non nimium humectentur, adde tritas nuc. mosch. & cinam. probè obtura, & per 8. dies relinque collocata supra fornacem calidum, deinde destilla in B. M. aquam exceptam expone soli, donec Lavendula & Spicacardi florere incipiant, & tum acceptos flores Lavend. & Spicacardi consperge dictâ aquâ. Post ℞: trit. Carioph. Cinam. Nuc. mosch. â. Asperge dictis floribus, & per aliquot dies digere, deinde destilla. Hâc aquâ odoratissimâ uti poteris, quomodocunque velis, si-ve propinando, si-ve externè applicando.

XXIX. Catharris desuper eum impetu fluentibus, Syr. viol. simpl. de papau. errat. de Pŷyll. cum tab. diatrag. fig. Tuffientibus & obstructione pectoris anhelantibus, Syr. de tuffilag. de capill. ven. de Nicotianâ, cum decoct. pectoral. & Card. destillator. aquis, confert.

XXX. Diarrhæa non sistatur, sed initio morbi, & si fluxus sit criticus, sinatur: si verò nimius evadat, & sit colligativus, naturâq; debilitet, derivetur, & venenata qualitas oppugnetur, hinc proderunt Diuretica alterantia & alexipharmaca. Clysteribus verò quibus itidem idouea alexipharmaca admista sunt, commodissimè dysenteria consulitur. v. g. ℞. ros. rub. anagall. rub. fragar. plantag. utriusque â M j. rad. torment. ℥ j. f. decoctio in f. q. a. ad dimid. ℞. colat. ℥ xvj. conf. ros. antiq. ℥ ij. cola denuò, f. clyster. Deinde revellatur fluxus diureticis. Huc pertinet corporis obstructio nimia, qua si à fervore orta fuerit, refrigerantibus & humectantibus destruenda; sin aliter, pro ratione causa, prudenter procedendum erit.

XXXI. Bubonum tandem cura ferè eadem qua in Peste. Vbi tamen notandum, natura debiliori, circa tempus huius abscessus vi-



# Positiones Medicæ.

137

*flu & Bezoarticis singulariter succurrendum esse: sin fortior sit, & bubonem magno dolore valenter expellat, mitigantibus solum & anodynis, in contrario vero attrahentibus & cucurbitulis utendum censemus: sin ingens malignitas coniuncta foret, consuleremus veneno, candente ferro vel auro exitum parare: Qui post aurcs oboriuntur ob maius periculum, absque morâ, fol. Peti maior. vel minoris, itemque fermento cum ob. lini, promovendi sunt.*

*Reliqua mitiora Symptomata, ne longiores simus, lubenter præmittimus, curam pharmaceuticam hîc concludentes.*

XXXII. Προφύλαξις consistit primò in cacchymia, si qua adest, ablatione. 2. in plethora diminutione. 3. Caloris nativi, & spirituum, atque adeò cordis roboratione, & 4. in evitacione locorum, consuetudinis, & aliarum causarum suspectarum. Ad primum cathartica benigniora, & in robustioribus etiam validiora, atque singulariter conf. Hamech. cum decoct. Hor. & fruct: ad secundum Phlebotomia conveniens; ad tertium Alexipharmaca præscripta & præstantiora quoq; alia, plebeisq; notiora, caput non tentantia, faciunt.

*Tandem meminerimus, gravidis, omnia hæc qua dicta sunt hucusq; media, & quibus salus in hac sævissimâ Lue, DEO favente & adjuvante, recuperari potest, cavetissimè esse adhibenda, easq; ita tractandas, ne iure dici possit, Medici incuriâ causam esse datam abortivi: quapropter purgantia sint lenia, cibus mediocris, medicamenta non tantum matrem, sed etiam fœtum roborantia, aut ad minimum non offendentia.*

*Sicq; Disputatiunculam hanc nostram concludimus.*

**FAXIT DEUS TER OPT. MAX. UT**  
*innumera nostra peccata poenitentes tandem agnoscamus,*  
**& ex**



## Positiones Medicæ.

& ex imo cordis deploremus, ac consequenter eidem, hunc  
& alios atrociores Morbos clementer ac paternè avertendi,  
ansam & occasionem præbeamus. Fiat, & vota hæc nostra  
rata habeat summus Archiater, Dominantium Domini

us & Exercituum Dux, Maximus

J E H O V A H !



F I N I S .

